



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

20. Patientia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

paupertatem non horream, & mortem ipsam non pertimescam.

Aspirationes.

I. Viriliter age, & confortetur cor tuum,
& sustine Dominum. Psal. 26. 14.

II. Exc Domine, ut de temporalibus nec
lugeam, nec gaudeam; nec metuam aliquid
temporale, nec diligam; nec blandis corrup-
par, nec adversis concutiar. S. August.
med. c. 35.

III. Fortitudo & laus mea Dominus.
Exodi c. 15. 2. Largire mihi robur spiritus!

P A S S U S XX.

Patentia.

T E X T U S.

*Patentia vobis necessaria est,
ut reportetis promissionem.
Hebr. 10. 36.*

Cognitio.

Patentia est virtus, quâ mala hujus sæ-
culi æquo animo sustinemus; ita ut
propter illa, nec interiùs immoderatè tur-
be-

bemur ; aut tristemur , nec exterius aliquid ab honestate aut decore alienum admittamus. J. Alvarez.

Actus.

1. Ea quæ quis adversa patitur , delictis suis imputare ; atque ad malum à Deo, proximòve illatum tacere.
2. Non se excusare , non lacrymas fundere , non à locis aut personis discedere , à quibus patientiæ materia præberur.
3. Primò patienter , deinde libenter , denique hilariter pari adversitates.
4. Non petere , tolli tribulationes , sed afflictiones desiderare.
5. Pro tribulationibus gratias agere ; & adversarium , mali causam , velut singularem benefactorem agnoscere , excusare , amare , laudare , pro eodem orare.

Consideratio.

Si in pilulis medicis , delitescens sanitas, amarorem earum vertit in dulcedinem: quid thesauri , in patientia ac cruce latentes , in homine Christiano non efficient?
 I. Quanta enim in patientia latet *dignitas* ; quæ nos Deo facit appropinquare ; Christo & martyribus similes evadere. II. Quanta in patientia recondita est *utilitas* , cum
 in

in ea lateat virtus, vitia curandi, pœnas ignis purgantis extinguendi, virtutes acquirendi, salutisquæ æternæ securitatem assequendi. III. Quanta illi inest *jucunditas*; cum sit signum Divini in nos amoris, nostræque erga ipsum dilectionis exercitium potissimum, gustum illi ac voluptatem afferens. IV. Quanta *necessitas*; cum status Christiani, status peccatoris, status Religiosi, status vitæ humanæ eam omnino postulet atque requirat? O quis igitur pilulas istas adeò salutare ac necessarias, non dulces putet, & libenter deglutiat?

Petitio.

Domine JESU, omnis patientiæ perfectissimum prototypon, concede mihi singularem tolerantie virtutem, in quinis hisce fontibus potissimum relucentem: 1. In frigore & calore, in siccitate & pluvia, in fulgure & tonitru, cæterisque aëris tempestatibus. 2. In doloribus & morbis corporis, in melancholia & tædio, in tristitia & fatigatione, in fame & siti, in penuria & egestate. 3. In moribus & inclinationibus hominum, mihi contrariis, perferendis. 4. In ignominia, contemptu, degradatione, in damnis amicorum, in persecutione, martyrio, morte. 5. Denique in tristitia & anxietate spiritûs; in desolatione & siccitate;

in

in distractionibus & obscuritatibus; in scrupulis & tentationibus dæmonis. Ut impleam illud Jobi : *Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum!* Et illud Apostoli : *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Iacobi c. 1. 2.*

Aspirationes.

I. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ad Gal. 6. 14.*

II. *O quàm multas & graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes, qui Christi vestigia sunt secuti. Thom. Kemp. L. 1. c. 18.*

III. *Domine, hic patientiam, postea indulgentiam! S. Laurent. Justin. In patientia vestra, possidebitis animas vestras. Lucæ c. 21. 19.*

P A S S U S XXI.

Perseverantia.

T E X T U S.

Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Matth. c. 10. 13.

Cogni-